

uterentur viri, nihil servantes in usu illo nisi congruum tempore propagandæ proli officium: & quod ipsi laqueis libidinis obstructi, vel in una non faciunt, nullo modo in multis fieri posse arbitrantur.

29. Sed isti possunt dicere, nec honorari quidem atque laudari oportere viros bonos & sanctos, quia ipsi cum honorantur atque laudantur, intumescunt superbia: tanto avidiores inanissimæ gloriæ, quanto eos frequentius atque latius lingua blandior ventilaverit; qua ita leves fiunt, ut eos rumoris aura, sive quæ prospera, sive quæ adversa existimatur, in quaslibet invehat voragines flagitiorum, aut in facinorum etiam saxa collidat. Videant ergo quàm sibi arduum sit atque difficile, nec laudis esca illiciti, nec contumeliarum aculeis penetrari, & non ex se alios metiantur. *CREDANT potius Apostolos nostros, nec cum suspicerentur ab hominibus, inflatos fuisse; nec cum despicerentur, elisos. Neutra quippè tentatio defuit illis viris. Nam & credentium celebrabantur præconio, & persequentium maledictis infamabantur. Sicut ergo isti pro tempore utebantur his omnibus, & non corrumpebantur; sic illi veteres, usum feminarum ad sui temporis convenientiam referentes, non patiebantur eam dominationem libidinis, cui serviunt qui ista non credunt.

30. Et ideo isti sese nullo modo cohiberent ab inexpiabili odio filiorum, à quibus vel uxores vel concubinas suas adtentatas, aut adtrectatas esse cognoscerent, si eis fortè tale aliquid accidisset. *REX autem David cum hoc ab impio atque immani filio passus esset, non solum ferocientem toleravit, sed etiam plan-

*CAP. XX.
In quavis
vivendi ra-
tione boni
sui sunt si-
miles.

*CAP. XXI.
David
quæquam
in adulterio

planxit extinctum. Non enim carnali zelo irretitus tenebatur, quem nullo modo injuriæ suæ, sed peccata filii commovebant. Nam idè si vinceretur, eum occidi prohibuerat, ut edomito servaretur pœnitendi locus: & quia non potuit, non orbitatem doluit in ejus interitu, sed noverat in quas pœnas tam impiè adultera & parricidalis anima raperetur. Namque alio prius filio, qui innocens erat, pro quo ægrotante affligebatur, moriente lætatus est.

31. Ex hoc maximè apparet, qua moderatione ac temperantia illi viri feminis utebantur, quod cum in unam illicitè irruisset rex idem, æstu quodam ætatis & temporalium rerum prosperitatibus abreptus, cujus etiam maritum occidendum præceperat, accusatus est per Prophetam, qui cum ad eum venisset convincendum de peccato, proposuit ei similitudinem de paupere, qui habebat ovem unam, cujus vicinus cum haberet multas, ad adventum hospitis sui unam potius vicini sui pauperis oviculam exhibuit epulandam. In quem commotus David occidi eum jussit, & quadruplicari ovem pauperi; ut se nesciens condemnaret, qui peccaverat sciens. Quod cum ei manifestatum esset, & divinitus denunciata vindicta, diluit pœnitendo peccatum. Sed tamen in hac similitudine stuprum tantummodò designatum est de ove vicini pauperis, de marito autem mulieris interempto, hoc est, de ipso paupere qui unam habebat ovem occiso, non est per similitudinem interrogatus David, ut in a solum adulterium diceret sententiam damnationis suæ. Ex quo

H 2

in-

a Sic MSS. Editi verò, in solo adulterio disceret.

rium lapsus, longè fuit à libidinosorum intemperantia.
2. Reg. 18.
33.

2. Reg. 12.

5.

intelligitur quanta temperantia multas mulieres habuerit, quando de una in qua excessit modum, à seipso puniri coactus est. Sed in isto viro immoderatæ hujus libidinis non permansio, sed transitus fuit: propterea etiam ab arguente Propheta ille illicitus appetitus hospes vocatus est. Non enim dixit eum regi suo, sed hospiti suo vicini pauperis ovem ad epulandum exhibuisse. At verò in ejus filio Salomone, non quasi hospes transitum habuit, sed regnum ista libido possedit: de quo Scriptura non tacuit, culpans eum fuisse amatorem mulierum. Cujus tamen initia desiderio sapientiæ flagraverant; quàm cum amore spiritali adeptus esset, amore carnali amisit.

3. Reg. II.

I.

2. Paralip.

I. 10.

CAP. XXII.

Regula de

Scripturæ

locis, ubi

laudantur

facta quæ-

dam bono-

rum hodie

moribus

contraria.

32. ERGO quamquam omnia vel penè omnia quæ in veteris Testamenti libris gesta continentur, non solum propriè, sed etiam figuratè accipienda sint, tamen etiam illa quæ propriè lector acceperit, si laudati sunt illi qui ea fecerunt, sed ea tamen abhorrent à consuetudine bonorum, qui post adventum Domini divina præcepta custodiunt, figuram ad intelligentiam referat, factum verò ipsum ad mores non transferat. Multa enim sunt, quæ illo tempore officiosè facta sunt, quæ modò nisi libidinosè fieri non possunt.

33. SI qua verò peccata magnorum virorum legerit, tametsi aliquam in eis figuram rerum futurarum animadvertere atque indagare potuerit; rei tamen gestæ proprietatem ad hunc usum adsumat, ut se nequaquam rectè factis suis jactare audeat, & præ sua justitia ceteros tamquam peccatores contemnat, cum videat tantorum virorum & cavendas tempestates, & flenda naufragia. Ad hoc enim etiam peccata illorum hominum scripta sunt, ut

apos-

apostolica illa sententia ubiquè tremenda sit, qua ait: *Quapropter qui videtur stare, videat ne cadat.* Nulla enim ferè pagina est sanctorum librorum, in qua non sonet, quod Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

34. MAXIMÉ itaque investigandum est, utrum propria sit, an figurata locutio, quam intelligere conamur. Nam comperto quòd figurata sit, adhibitis regulis rerum, quas in primo libro digessimus, facile est eam versare omnibus modis, donec perveniamus ad sententiam veritatis, præsertim cum usus accesserit pietatis exercitatione roboratus. Invenimus autem utrum propria sit, an figurata locutio, illa intuentes quæ supra dicta sunt. *QUOD cum apparuerit, verba quibus continetur, aut à similibus rebus ducta invenientur, aut ab aliqua vicinitate adtingentibus.

35. Sed quoniam multis modis res similes rebus apparent, non putemus esse præscriptum, ut quod in aliquo loco res aliqua per similitudinem significaverit, hoc eam semper significare credamus. Nam & in vituperatione fermentum posuit Dominus, cum diceret: *Cavete à fermento Phariseorum;* & in laude cum diceret: *Simile est regnum cælorum mulieri, quæ abscondit fermentum in tribus mensuris farinæ, donec fermentaretur totum.*

36. *Hujus igitur varietatis observatio duas habet formas. Sic enim aliud atque aliud res quæque significant, ut aut contraria, aut tantummodò diversa significent. Contraria, scilicet, cum alias in bono, alias in malo res eadem per similitudinem ponitur, sicut hoc est quod de fermento supra diximus. Tale est

H 3

etiam

I. Cor. 10.
12.CAPUT
XXIV.

Ante omnia considerandum genus locutionis.

CAP. XXV.

Idem verbum non idem significat ubique.

Matt. 16.
11.

Luc. 13. 21.

*Reliquum hujus libri, totumque librum quartum adjevit Augustinus, quando hoc opus suo ordine recognovit ex 2. Re-tract. c. 4.

CAPUT

XXIII.

Regula de

locis, ubi

magnorum

virorum

peccata re-

laruntur.

etiam quod leo significat Christum, ubi dicitur: *Vicit leo de tribu Juda*; significat & diabolum, ubi scriptum est: *Adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret*. Ita serpens in bono est: *Astuti ut serpentes*; in malo autem: *Serpens Evam seduxit in astutia sua*. In bono panis: *Ego sum panis vivus, qui de celo descendi*; in malo: *Panes occultos libenter edite*; sic & alia plurima. Et hæc quidem quæ commemoravi, minimè d ubiam significationem gerunt, quia exempli gratia commemorari non nisi manifesta debuerunt. Sunt autem quæ incertum sit, in quam partem accipi debeant, sicut: *Calix in manu Domini vini meri plenus est mixto*. Incertum est enim, utrum iram Dei significet non usque ad novissimam poenam, id est, usque ad sæcem; an potiùs gratiam Scripturarum à Judæis ad Gentes transeuntem, quia *inclinavit ex hoc in hoc*, remanentibus apud Judæos observationibus, quas carnaliter sapiunt, quia *sæx ejus non est exinanita*. Cùm verò res eadem non in contraria, sed tantùm in diversa significatione ponitur, illud est in exemplum, quod aqua & populum significat, sicut in Apocalypsi legimus, & Spiritum Sanctum, unde est illud: *Flumina aquæ vivæ fluent de ventre ejus*; & si quid aliud atque aliud, pro locis in quibus ponitur, aqua significare intelligitur.

37. Sic & aliæ res non singulæ, sed unaquæque earum, non solùm duo aliqua diversa, sed etiam nonnumquàm multa significat, pro loco sententiæ sicut posita reperitur. *UBI autem apertius ponuntur, ibi discedendum est quomodò in locis intelligantur obscuris. Neque enim meliùs potest intelligi quod

Apoc. 5. 5.
1. Pet. 5. 8.

Matt. 10.
16.

2. Cor. 11. 3.

Jean. 6. 51.

Prov. 9. 17.

Psal. 74. 9.

Apoc. 17.

23. & 19. 6.

Jean. 7. 38.

CAPUT

XXVI.

Obscura ex

locis aper-

quod dictum est Deo: *Apprehende arma & scutum, & exsurge in adjutorium mihi*, quàm ex illo loco ubi legitur: *Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos*. Nec tamen ita ut jam ubicumquè scutum pro aliquo munimento legerimus positum, non accipiamus nisi bonam voluntatem Dei. Dictum est enim & *Scutum fidei; in quo possitis*, inquit, *omnes sagittas maligni ignitas extinguere*. Nec rursus ideò debemus in armis hujusmodi spiritalibus scuto tantummodò fidem tribuere, cùm alio loco etiam lorica dicta sit fidei: *Induti*, inquit, *lorica fidei & caritatis*.

38. QUANDO autem ex eisdem Scripturæ verbis, non unum aliquid, sed duo vel plura sentiuntur, etiamsi latet quid senserit ille, qui scripsit, nihil periculi est, si quodlibet eorum congruere veritati ex aliis locis sanctarum Scripturarum doceri potest: id tamen eo conante, qui divina scrutatur eloquia, ut ad voluntatem perveniatur auctoris, per quem Scripturam illam Sanctus operatus est Spiritus; sive hoc assequatur, sive aliam sententiam de illis verbis, quæ fidei rectæ non refragatur, exculpat, testimonium habens à quocumque alio loco divinorum eloquiorum. Ille quippè auctor in eisdem verbis, quæ intelligere volumus, & ipsam sententiam forsitan vidit; & certè Dei Spiritus, qui per eum hæc operatus est, etiam ipsam occurruram lectori vel auditori, sine dubitatione prævidit; immò ut occurreret, quia & ipsa est veritate subnixa, providit. Nam quid in divinis eloquiis largius & uberius potuit divinitus provideri, quàm ut eadem verba pluribus intelligantur modis, quos alia non mi-

rioribus explicanda.
Psal. 34. 2.
Psal. 5. 13.

Eph. 6. 16.

1. Thess. 5.
8.

CAPUT
XXVII.
Eundem
locum varie
intelligi
nihil
prohibet.

CAPUT
XXVII I.
Locus incertus
tutus per alios
Scripturæ locos
quàm per rationem
manifestatur.

nus divina contestantia faciant approbari?
39. UBI autem talis sensus eruitur, cuius incertum certis sanctarum Scripturarum testimoniis non possit aperiri, restat ut ratione reddita manifestus appareat, etiam si ille cuius verba intelligere quærimus, eum forte non sensit. Sed hæc consuetudo periculosa est: per Scripturas enim divinas multò tutius ambulatur, quas verbis translatis opacatas cum scrutari volumus, aut hoc inde exeat, quod non habeat controversiam; aut si habet, ex eadem Scriptura ubicumque inventis atque adhibitis testibus terminetur.

CAPUT
XXIX.
Troporum cognitio necessaria.

40. SCIANTE autem litterati modis omnibus locutionis, quos grammatici græco nomine tropos vocant, auctores nostros usos fuisse, & multipliciùs atque copiosiùs, quam possunt existimare vel credere qui nesciunt eos, & in alijs ista didicerunt. Quos tamen tropos qui noverunt, agnoscunt in litteris sanctis, eorumque scientia ad eas intelligendas aliquantum adjuvantur. Sed hinc eos ignaris tradere non decet, ne artem grammaticam docere videamur. Extra sanè ut discantur admonero, quamvis jam superiùs id admonuerim, id est, in secundo libro, ubi de linguarum necessaria cognitione disserui. Nam litteræ, à quibus ipsa grammatica nomen accepit, *γραμματά* enim Græci litteras vocant, signa utique sunt sonorum ad articulatam vocem qua loquimur pertinentium. Istorum autem troporum non solum exempla, sicut omnium, sed quorundam etiam nomina in divinis libris leguntur, sicut allegoria, ænigma, parabola. Quamvis penè omnes ii tropi, qui liberali dicuntur arte cognosci, etiam in eorum reperiantur loquelis, qui nullos grammati-

ticos audierunt, & eo quo vulgus utitur sermone contenti sunt. Quis enim non dicit: Sic floreas? Qui tropus metaphora vocatur. Quis non dicit, piscinam, etiam quæ non habet pisces, nec facta est propter pisces, & tamen à piscibus nomen accepit? Qui tropus catachresis dicitur.

41. Longum est isto modo ceteros persequi; nam usque ad illos pervenit vulgi locutio, qui propterea mirabiliores sunt, quia contra quàm dicitur, significant, sicuti est quæ appellatur ironia vel antiphrasis. Sed ironia pronuntiatione indicat quid velit intelligi, uti cum dicimus homini mala facienti: Res bonas facis: antiphrasis verò ut contraria significet, non voce pronuntiantis efficitur, sed aut verba habet sua, quorum origo è contrario est, sicut appellatur lucus, quòd minimè luceat; aut consuevit aliquid ita dici, quamvis dicatur etiam non è contrario, veluti cum quærimus accipere, quod ibi non est, & respondetur nobis: Abundat; aut adjunctis verbis facimus, ut à contrario intelligatur, quod loquimur, veluti si dicamus: Cave illum, quia bonus homo est. Et quis talia non dicit indoctus, nec omninò sciens qui sint, vel quid vocentur hi tropi? Quorum cognitio propterea Scripturarum ambiguitatibus dissolvendis est necessaria, quia cum sensus, ad proprietatem verborum si accipiatur, absurdus est, quærendum est utique ne fortè illo vel illo tropo dictum sit, quod non intelligimus: & sic pleraque inventa sunt, quæ latebant.

42. TICHONIUS quidam, qui contra Donatistas invictissimè scripsit, cum fuerit Donatista, & illic invenitur absurdissimi cordis, ubi eos non omni ex parte relinquere

CAP. XXX.
Regulæ Tichonii Donatistæ expenduntur.

* *Exat* voluit, fecit librum * quem *Regularum* vocavit, quia in eo quasdam septem regulas excutit, quibus quasi clavibus divinarum Scripturarum aperirentur occulta. Quarum primam ponit, *de Domino & ejus corpore*, secundam *de Domini corpore bipartito*, tertiam *de Promissis & Lege*, quartam *de Specie & genere*, quintam *de Temporibus*, sextam *de Recapitulatione*, septimam *de Diabolo & ejus corpore*. Quæ quidem considerata, sicut ab illo aperiuntur, non parùm adjuvant ad penetranda, quæ tecta sunt divinarum eloquiorum: nec tamen omnia, quæ ita scripta sunt, ut non facilè intelligantur, possunt his regulis inveniri, sed aliis modis pluribus, quos hoc numero septenario usque adè non est iste complexus, ut idem ipse multa exponat obscura, in quibus harum regularum adhibet nullam, quoniam nec opus est. Neque enim aliquid illic tale versatur aut quæritur, sicut in Apocalypsi Joannis quærit, quemadmodùm intelligendi sint Angeli Ecclesiarum septem, quibus scribere jubetur, & ratiocinatur multipliciter, & ad hoc pervenit ut ipsos Angelos intelligamus Ecclesias. In qua copiosissima disputatione nihil istarum est regularum, & utique res illic obscurissima quæritur; quod exempli gratia satis dictum sit; nam colligere omnia, nimis longum & nimis operosum est, quæ ita obscura sunt in Scripturis canonicis, ut nihil istarum septem ibi requirendum sit.

43. Iste autem, cum has velut regulas commendaret, tantum eis tribuit, quasi omnia quæ in Lege, id est, in divinis libris obscure posita invenerimus, his benè cognitis atque adhibitis intelligere valeamus. Ita quippè exor-

Apoc. I.
20.

orsus est eundem librum, ut diceret: "Necessarium duxi ante omnia, quæ mihi videntur, libellum *Regularum* scribere, & secretorum Legis veluti claves & luminaria fabricare. Sunt enim quædam Regula mystica, quæ universæ Legis recessus obtinent, & veritatis thesauros aliquibus invisibiles visibiles faciunt. Quarum si ratio Regularum sine invidia, ut communicamus, accepta fuerit, clausa quæque patefient, & obscura dilucidabuntur, ut quis prophetiæ immensam silvam perambulans, his Regulis quodammodò lucis tramitibus deductus ab errore defendatur." Hic si dixisset: Sunt enim quædam Regula mystica, quæ nonnullos Legis recessus obtinent, aut certè, quæ Legis magnos recessus obtinent, non autem quod ait, universæ Legis recessus; neque dixisset, clausa quæque patefient, sed clausa multa patefient: verum dixisset, nec tam elaborato atque utili operi suo plusquam res ipsa postulat dando, in spem falsam lectorum ejus cognitoremque misisset. Quod ideò dicendum putavi, ut liber ipse & legatur ad studiosis, quia plurimùm adjuvat ad Scripturas intelligendas, & non de illo speretur tantum quantum non habet. Cautè sanè legendus est, non solum propter quædam, in quibus ut homo erravit, sed maximè propter illa, quæ sicut Donatista hæreticus loquitur. Quid autem doceant vel admoneant istæ septem regulæ breviter ostendam.

44. PRIMA *de Domino & ejus corpore* est, in qua scientes aliquandò capitis & corporis, id est, Christi & Ecclesiæ unam personam nobis intimari (neque enim frustrâ dictum est fidelibus: *Ergo Abraham semen estis;* cum

CAPUT
XXXI.
Regula
prima
Thilonii.
Gal. 3. 29.

cum sit unum semen Abrahamæ, quod est Christus) non hæsitemus quando à capite ad corpus, vel à corpore transitur ad caput, & tamen non receditur ab una eademque persona. Una enim persona loquitur dicens: *Sicut sponsa so imposuit mihi mitram, & sicut sponsam ornavit me ornamento*; & tamen quid horum duorum capiti, quid corpori, id est, quid Christo, quid Ecclesiæ conveniat, utique intelligendum est.

Isaia 51.
10.

CAPUT
XXXII.
Regula se-
cunda Ti-
chonii.

45. SECUNDA est de Domini corpore bipartito, quod quidem non ita debuit appellari; non enim re vera Domini corpus est, quod cum illo non erit in æternum, sed dicendum fuit: de Domini corpore vero atque permixto, aut, vero atque simulato, vel quid aliud: quia non solum in æternum, verum etiam nunc hypocritæ non cum illo esse dicendi sunt, quamvis in ejus esse videantur Ecclesia. Unde poterat ista Regula & sic appellari, ut diceretur: de Permixta Ecclesia. Quæ Regula lectorem vigilantem requirit quando Scriptura cum ad alios jam loquatur, tamquam ad eos ipsos, ad quos loquebatur, videtur loqui; vel de ipsis, cum de aliis jam loquatur; tamquam unum sit utrorumque corpus, propter temporalem comixtionem & communionem Sacramentorum. Ad hoc pertinet in Canticis canticorum: *Fusca sum & speciosa ut tabernacula Cedar, ut pelles Salomonis*. Non enim ait, fusca fui ut tabernacula Cedar, & speciosa sum ut pelles Salomonis, sed utrumque se esse dixit, propter temporalem unitatem intra una retia piscium bonorum & malorum. Tabernacula enim Cedar ad Ismaelem pertinent, qui non erit heres cum filio liberæ. Itaque cum de bona par-

Gaut. 1. 5.

Matt. 13.
47.

Gen. 21.
10.

Gen. 4. 30.

parte Deus dicat: *Ducam cecos in viam, quam non noverunt, & semitas quas non noverunt, calcabunt; & faciam illis tenebras in lucem, & prava in directum: hæc verba faciam, & non derelinquam eos*. Mox de alia parte, quæ malè permixta est, dicit: *Ipsi autem conversi sunt retrò*; quamvis alii jam significantur his verbis. Sed quoniam nunc in uno sunt, tamquam de ipsis loquitur, de quibus loquebatur: non tamen semper in uno erunt. Ipse est quippè ille servus commemoratus in Evangelio, cujus Dominus cum venerit, dividet eum, & partem ejus cum hypocritis ponet.

1r. 42. 16.

Matt. 24.
51.

46. TERTIA regula est de Promissis & Lege, quæ alio modo dici potest, de Spiritu & littera, sicut nos eam appellavimus, cum de hac re * librum scriberemus. Potest etiam sic dici, de Gratia & mandato. Hæc autem magis mihi videtur magna quæstio quam Regula, quæ solvendis quæstionibus adhibenda est. Hæc est quam non intelligentes Pelagiani, vel condiderunt suam hæresim, vel auferunt. Laboravit in ea * disolvenda Tichonius benè, sed non plenè. Disputans enim de fide & operibus, opera nobis dixit à Deo dari merito fidei, ipsam verò fidem sic esse à nobis, ut nobis non sit à Deo. Nec attendit Apostolum dicentem: *Pax fratribus & caritas cum fide à Deo patre & Domino Jesu Christo*. Sed non erat expertus hanc hæresim, quæ nostro tempore exorta, multum nos, ut gratiam Dei, quæ per Dominum nostrum Jesum Christum est, adversus eam defenderemus, exercuit: & secundum id quod ait

CAPUT
XXXIII.
Regula
Tertia Ti-
chonii.
* Liber de
Spiritu &
littera.

Eph. 6. 23.

Apos-

* MSS. novem, *disserranda*.

1. Cor. II. 19. *Apostolus: Oportet hæreses esse, ut probati manifesti fiant in vobis; multò vigilantiores, diligentioresque reddidit, ut adverteremus in Scripturis sanctis, quod istum Tichonium minùs adtentum, minùsque sine hoste sollicitum fugit, etiam ipsam scilicet fidem donum illius esse, qui ejus mensuram unicuique partitur. Ex qua sententia quibusdam dictum est: Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, verùm etiam ut pro eo patiamini.* Unde quis dubitet utrumque esse Dei donum, qui fideliter atque intelligenter audit utrumque donatum? Plura sunt & alia testimonia, quibus id ostenditur: sed hoc nunc non agimus, alibi autem atque alibi sæpissimè ista egimus.

CAPUT
XXXIV.
Regula
quarta Tichonii.

47. QUARTA Tichonii Regula est de Specie & genere. Sic enim eam vocat, volens intelligi speciem partem, genus autem totum, cujus ea pars est, quam nuncupat speciem, sicut unaquæque civitas pars est utique universitatis gentium; hanc ille vocat speciem, genus autem omnes gentes. Neque hic ea^a discernendi subtilitas adhibenda est, quæ à dialecticis traditur, qui inter partem & speciem quid intersit, acutissimè disputant. Eadem ratio est, si non de unaquaque civitate, sed de unaquaque provincia vel gente vel regno tale aliquid in divinis reperiatur eloquiis. Non solum enim, verbi gratia, de Jerusalem, vel de aliqua gentium civitate, sive Tyro, sive Babylonia, sive alia qualibet dicitur aliquid in Scripturis sanctis, quod modum ejus excedat, & conveniat potiùs omnibus gentibus: verùm etiam de Judæa, de Ægyp-

^a MSS. undecim, disserendi.

Ægypto, de Assyria, & quacumque alia gente, in qua sunt plurimæ civitates, non tamen totus orbis, sed pars ejus est, dicitur quòd transeat ejus modum, & congruat potiùs universo, cujus hæc pars est; vel sicut iste appellat, generi, cujus hæc species est. Unde & in notitiam vulgi verba ista venerunt, ut etiam idiotæ intelligant quid specialiter, quid generaliter in quocumque præcepto imperiali sit constitutum. Fit hoc etiam de hominibus: sicut ea quæ de Salomone dicuntur, excedunt ejus modum, & potiùs ad Christum vel Ecclesiam, cujus ille pars est, relata clarescunt.

48. Nec species semper exceditur; sæpè enim talia dicuntur, quæ vel ei quoque, vel ei fortassè tantummodò apertissimè congruant: sed cùm à specie transitur ad genus, quasi adhuc de specie loquente Scriptura, ibi vigilare debet lectoris intentio, ne quærat in specie, quod in genere potest meliùs & certius invenire. Facile quippè est illud quod ait propheta Ezechiel: *Domus Israel habitavit in terra, & polluerunt illam in via sua & in idolis suis & peccatis suis; secundùm immunditiam menstruata facta est via eorum ante faciem meam. Et effudi iram meam super eos, & dispersi illos inter nationes, & ventilavi eos in regiones, secundùm vias eorum, & secundùm peccata eorum judicavi eos.* Facile est, inquam, hoc intelligere de illa domo Israel, de qua dicit Apostolus: *Videte Israel secundùm carnem*; quia hæc omnia carnalis populus Israel & fecit, & passus est. Alia etiam quæ sequuntur, eidem intelliguntur populo convenire: sed cùm cœperit dicere: *Et sancti-*

Ezech. 36.
17.

1. Cor. 10.
18.

Ezech. 36.
23.
si-